



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

**González Téllez, Emanuel  
Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput VIII. Idem in (a) eodem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](#)

necessitatem, & utilitatem perspicerint, ut absque ulla coactione ad relevandas utilitates, vel necessitates communes, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia duixerint per Ecclesias conferenda, praedicta laici humiliter, & deo recipiant cum gratiarum actione: propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex prius consulatur, cuius interest communibus utilitatibus providere. Quia vero nec sic quorundam malitia contra Dei Ecclesiam conquievit, adjicimus, ut constitutiones, & sententiae, quae à talibus, vel de ipsis mandato fuerint promulgatae, inane, & irritae habeantur, nullo unquam tempore valitur. Ceterum quia fraus, & dolus alicui patrocinari non debet, nullus ratio decipiatur errore, ut intra tempus regiminis sustineat anathema, quasi post illud non sit ad satisfactionis debitum compellendus. Nam & ipsum, qui satisfacere recusaverit, & successorem ipsius, nisi satisficerit intra inensem, manere decernimus Ecclesiastica censurā conclusum, donec satisficerit competenter cum succedit in onere, qui in honore substituitur.

## NOTÆ.

(a) **G**enerali. ] Lateranensi videlicet sub Innocentio III. ubi cap. 6. & in quarta collectione, sub hoc tit. cap. 3. reperitur textus hic. De hoc Concilio nonnulla notavi in cap. 1. de summa Trinitate.

(b) **Tallus.** ] Tallia nomen à tallando, id est incidente accepit; quoniam de bonis illatio hæc velut abscinditur, & tallatur: inter genera exactionum eam referit P. Blesensis epist. 102, ibi: *Quid de tallis. & actionibus? quid de obventionibus placitorum, & ceteris improbis extorsionibus loquar?* Exponunt Lindembrogius in glossar. verbo *Tallis*, Vossius de virtutis serm. lib. 2. cap. 18.

## COMMENTARIUM.

**A**rgumentum hujus textus prorsus idem est cum capite non minis, supra hoc tit. ubi referitur canon Concilii Lateran. cuius hic meminuit Innocent. III. nisi quod hic plus additur cautionis contra Consules, vel Magistratus, vel Officiarios civiles, qui clericos exactiōnibus oneraverunt. Primum ut clerici prius Romanum consulant Pontificem, quam in exactiones illas hujusmodi, etiam voluntarias, atque spontaneas consentiant. Secundum ut constitutions, & sententiae laicorum talium (qui nimur propter vexatos clericos excommunicatiuerint, sicut in ipso fonte clarissim exprimitur) inane, & irritae sint, nec ullo tempore convalescant. Tertium, ut excommunicatione laicorum perduret etiam finito ipsisrum

officio, vel magistratu; quin immo, ut & successores corundem simili involvantur excommunicatione, nisi intra mensam satisficerint. Sed quia de hac immunitate latè egi supra in cap. non minis, hoc tit. in praesenti tanquam referam, qua ab Innocentio specialiter adjiciuntur. Primo videlicet, ut clericis tributa imponi non possint, etiam ob communem necessitatem, absque consensu Summi Pontificis: quod etiam firmarunt Alex. IV. in cap. 1. cap. clericis, hoc tit. in 6. Benedictus XI. in extravag. unic. hoc tit. Bulla in Cœna Domini, §. 18. & ita docuerunt Lugo tom. 1. de iustitia, disput. 36. sect. 8. num. 127. Gregor. Lopez in l. 54. tit. 6. partit. 1. Azevedo in l. 1. titul. 3. lib. 1. recip. num. 7. Gutierrez lib. 1. practic. q. 6. num. 3. Azor tom. 1. mor. lib. 5. cap. 13. quæst. 8. Bonacina tom. 3. disput. 1. q. 19. punct. 3. §. 3. num. 15. Caltropalao tom. 1. tract. 12. disput. unic. punct. 11. num. 7. Dia- na p. 7. tract. 1. resol. 9. Castillo tom. 7. de ter- tis, cap. 9. num. 50. Illud etiam adjicit Innocentius III. in praesenti, ut videlicet ordinaciones laicorum excommunicatorum propter tributa imposta clericis irritae sint, ac inane, nec ullo tempore convalescant, sive detecta sit causa excommunicationis, sive non, ut exponit Boëtius Ep. in praesenti, num. 12. Tandem adjectit Innocentius, ipsos Magistratus seculares etiam deposito officio non liberari ab excommunicatione jam incursa; immo conveniri posse propter vexationem factam Ecclesiasticis perso- nis, etiam utilitas principaliter ad Rem publicam spectaret, ut explicat Boëtius Ep. in praesenti, num. 53.

## CAPUT VIII.

Idem in (a) eodem.

**Q**uia plerique Praepati, ut (b) procriptionem aut servitium aliquod impendant Legato vel alii, plus extorquent à subditis, quam (c) solvunt, & in eorum damnis lucra sectantes, querunt praedam potius quam subsidium in subjectis, id de cetero fieri prohibemus. Quod si quis forte presumperit, & sic extorta restituat, & (d) tantumdem cogatur (e) pauperibus elargiri. Superior autem cui fuerit querela deposita, si negligens fuerit in hujusmodi executione statuti, sub- jaceat ultiō.

NOTÆ.

## N O T A.

(a) **I**n eodem. ] Concilio videlicet Lateran. generali, celebrato sub Innocentio III. ubi cap. 34. sub hoc summario, de subditis non gravandis sub praetextu alicujus servitutis, referrur hic textus, & in quinta collectione, sub hoc tit. 6. 4.

(b) **P**rocurationem. ] De procurationibus, & a quibus praestantur, egi in cap. procuraciones, de censibus.

(c) **Q**uam solvunt. ] Valde aequum est, Praela-

tos Ecclesiae pro colligendis iis, qua Legato Pontificis procurations nomine penduntur, nullum debere lucrum sectari, cum ad hoc teneatur ex officio, & quidem jurato, cap. ego N. de jure, quare turpissimum est sub alieni subsidii praetextu lucrum querere.

(d) **T**antundem. ] Et ita duplum refunditur, non quadruplum, vel triplum, quia licet in iusta sit haec exactio, non tamen ullam rapinam speciem continet.

(e) **P**auperibus elargiri. ] Haec verba expolii in cap. procuraciones, de censibus.

## C A P U T I X.

Gregorius IX. (a) *Astoricensis Episcopo.*

**E**ccliesiae, in qua divina mysteria celebrantur, licet adhuc non extiterit consecrata, nullo jure privilegium immunitatis admittit. Quia obsequiis divinis dedicata, nullis est temerariis ausibus profananda.

## N O T A.

(a) **A**storicensi. ] Contius, quem sequitur Boëtius Epon, in praesenti, legi Senonensi: nec facile cognosci potest, utra lectio prior sit. Si retineatur vulgaris inscriptio, quam & retinet Boëtius, Episcopo videlicet, de Astoricensi Praelato accipienda est, cum Senonensis Ecclesiae temporibus Gregorii IX. Archiepiscopalis esset, ut notavi, in cap. 6. de confite. De diecesti Astoricensi egimus in cap. 17. de re judic.

## C O M M E N T A R I U M.

**I**mmitatem, seu jus asyli confugientibus ad Ecclesiam concedi, latè probavi supra in cap. inter alia: unde in praesenti tantum expendum est, quibus Ecclesiis id jus asyli competit, & usque ad quem ejus ambitum. In hoc textu primo statuit Gregorius, Ecclesiam nondum consecratam per Episcopum juxta ritus supra relatos in cap. 1. de consecr. Eccles. sed tantum dedicatam, & benedictam, ut hodie in usum est, ut Missæ sacrificium possit celebrari, gaudere hoc jure asyli, & merito; nam cum quoad omnia Ecclesia tantum benedicta basilica dicatur, cap. 1. de relig. domib. & in ea sacra mysteria peragantur, & divina officia celebrantur, merito omnibus privilegiis Ecclesia fruitur, ut docuerunt Suarez de relig. tom. 1. lib. 3. cap. 9. Barbo de iure Eccles. lib. 2. cap. 6. Sanchez tom. 2. consil. lib. 6. cap. 1. dubit 6. Thom. Delbene tom. 2. de immunit. cap. 6. dubit. 9. scilicet 2. Marinis lib. 1. resol. cap. 178. Nec interest, quod in ea sacra sancta Eucharistia asservetur, necne. Gamba curta lib. 3. de immunit. cap. 4. & 5. nec etiam desideratur, quod in ea Missæ sacrificium sit oblatum, ut probat Delbene d. scilicet 1. qui scilicet 3. idem resolvit de Ecclesia polluta, nec adhuc reconciliata: & scilicet 4. idem tradit de Ecclesia interdicta: & scilicet 6. idem resolvit de Ecclesia disuta sine superioris licentia: & scilicet 10. idem probat de hospitali, seu oratorio Episcopio auctoritate constructo.

Secundò quoad ambitum Ecclesiae sciendum

est, non solum Ecclesiam gaudere hoc jure asyli, verum & ejus cœmeterium, ex quo fontes abstrahi non debent, ex decreto Innocentii II. in Synodo Rom. cap. 22, quare olim in cœmeterii collocatae erant crucis, quibus septa, & ambitus designabantur, ne quis terminos illos transgredi auderet. Anonymus lib. 4. demiracul. S. Benedicti, ibi: Denique crues aliquantulum excelsas per gyrum cœmeterii posuerunt, quae nemmo sumus persequenti inimicum transgredi audeat. Nec tantum Ecclesia fruatur hac immunitate quoad internam partem, sed etiam quoad externam, videlicet totam fabricam, ita ut capella, balbe, tectum, parietes, sacrificia, & turres hoc jure portantur; quia omnes hi loci in lata significazione Ecclesia dicuntur, l. pater. C. de hi qui ad Ecclesiam confungunt, cap. id confutamus 17. quest. 4. arguento legis qua religiosis, ff. de R. V. pluribus relatis probat Delbene d. cap. 16. scilicet 6. etiam eodem privilegio gaudent Ecclesiae quoad loca adharentia, videlicet claustrum, porticum, dormitorium, & similia loca. Delbene supra, scilicet 7. Idem dicendum est quoad confines, cap. scilicet 1. cap. quicquid 17. quest. 4. l. prefertum, §. ex his, Cod. de his qui ad Ecclesiam. In decreto Clotarii ad legem Salicam, l. 13. ibi: Nullus latronem, vel quemlibet culpabilem, sicut summis Episcopis conventus, de atrio Ecclesiae trahere presumat. Constitutio Theodosii Junior. & Valentini. in l. pateram 3. C. de his qui ad Ecclesias confungunt, quae integra reperitur ad Calcem Concilii Ephesini, & eam transcriptum fit I. Gothofr. sub eodem tit. in Theod. ejusque constitutionis historiam referunt Socrates lib. 7. his tor. Eccles. cap. 32. Niceph. Calixt. lib. 14. cap. 32. Marcel. Comes in Chron. Baronius anno 431. num. 3. Supponendum enim est, jam à primis Ecclesiae canonibus certum spatium præscriptum fuisse pro atrio, vel ambitu templi, ut refertur d. cap. scilicet 1. ibi: Sicut à sanctis Patribus est statutum, ut major Ecclesia per circuitum 40. passus habeat; capella vero, vel Ecclesia minores 30. Et in Concilio Toleti 12. can. 10. ante Nicolaum ipsius textus auctorem celebrato, ita statuitur: His ipsis, quas Ecclesias peunt,